


## Dissertatio Politica, De Romanae Reipublicae Aetatibus

Stetini: Goetschius, [1652]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn885342720>

Druck Freier  Zugang






Rc. 911 (2)

677 1-16.





DISSERTATIO POLITICA,  
DE  
ROMANÆ REI-  
PUBLICÆ ÆTATIBUS,

Qvam  
DEO DUCE ET AUSPICE

SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentiss.*

DN. JOHANNIS MICRÆLI, SS. Th. & Phil. D. & Professoris, illustris Pædagogii Stetinenſis Rectoris, Parentis nunquam non colendi, amandi.

*cruditorum Juvenum examini submittit*

**DAVID MICRÆLIUS**, Stet. Pom.

Autor & Resp.

*Habenda in Acroterio majori*

*Anno M. DC. LII. d. 8. Aprilis.*

---

STETINI,  
Typis GEORGII GOETSCHII, Pædag. Reg. Typegr.

4



VIRIS

*Generosus, Magnificus, Reverendo, Nobilissimus,*

DN. JOHANNI NICODEMO

Billienströhm / S<sup>a</sup>. R<sup>a</sup>. M<sup>tis</sup> Sveciæ Col-  
legii Status per Pomeraniam Vice-Præ-  
sidi & Consiliario & ad tractatus limita-  
neos Commisario, Gymnasii nostri  
regii Curatori munificentissimo, Do-  
mino in Eka / Sandershagen &c.

DN. HEINRICO Schwallenberg /

S<sup>a</sup>. R<sup>a</sup>. M<sup>tis</sup> Sveciæ Consiliario, ad tra-  
ctatus limitaneos Commisario Domi-  
no in Wiedestock / &c.

DN. JOHANNI GEORGIO

ALBINO à Weissenfels / S<sup>a</sup>. R<sup>a</sup>. M<sup>tis</sup>  
Archiatro & Regii Pædagogii Capi-  
tulari.

Dominis, Patronis ac Promotoribus quo-  
vis officiorum cultu devenerandis,  
hoc studiorum *ἀσκησις* offert

DAVID MICRÆLIUS, A. & R.



Romanos mores antiquitus ore vehebat  
Laudanti populus quisq; decoris amans.  
Sparsit enim virtus olim Romanæ per orbem  
tot radios, quot gens non alia ulla dedit.

Iustè igitur celebras, Affinis docte, vetusta,  
Publica Res Romæ quod medicata fuit.

*Dn. Respondenti, Patris celeberrimi filio  
optima spei, suo affini per dilecto,  
sic gratulari voluit*

JACOBUS FABRICIUS D.  
Superintendens.

---

Filio suo natu majori DAVIDI, de Roma  
disputaturo Bonam Mentem!

---

**G**ymnasio è patrio patria te Academia, fili,  
Evocat, & te vult prompta fovere sinu.  
Ne tamen hinc abeas tacitus, vis ultima verba  
Dicere, & ingenii mittere signa tui.  
Materiem sumis caput orbis, & illius ortum,  
Incrementa, statum, jura docere cupis.  
Ardua materies! Sed sic tandem itur ad astra,  
Si magno nisu quarere magna lubet.  
Conatus laudi est. Tua tu prestare memento.  
Sic nunquam poterit gratia deesse Dei.  
Nosti, quæ quondam dederim tibi symbola, nomen  
Cum iussi semper te meminisse tuum.  
Appinxi cithara Davidis palmea serua:  
Iussi, Davidi te similem esse pio.  
Dixi: Donabit Mentis Sapiencia Palmam.  
Felix si esse cupis, ne mihi desipias.  
Dilexisse Deum vera est sapientia. Et ille  
Si faveat, melior, quam caput orbis, eris.

J. MICRÆLIUS D. Præses  
Reges

**R**eges Romanos monstras, & in ordine Brutum,  
Publicolam, Æbutium, & reliquos dum Julius Orbem  
Intrat & Augustus, donec se secula vertunt  
Præsens ad tempus. Res hæc est optima laudis,  
Æmulus ut patriis Natus virtutibus instas.  
Perge ita, Mi DAVID, qvanam virtute coruscâ  
Effloret Genitor, tu major acumine crescas.  
*Invidia hæc felix, patrium qve servat amorem.*


In honorem & amorem Juvenis eruditi, mihi  
dilectissimi, ob patrem amicissimum,  
cum felicis studiorum successus appreci-  
atione scrib. Stet.

JOAN Sithman / U. J. D. & Prof. Reg.

**C**irca perennes est animus tue  
Laudes Minerva, digna Micralio  
Magno propago, cum minaris  
Indole sideria parentem,  
Proditq; vires ingenii vigor.  
Adsit cupita Pallas adorea;  
En cuncta Divorum huc relata,  
Præter aqvaliculum Lyæi,  
Jam dona præsto: Sume lubentiam;  
Jam porro comet; jam tibi floridos  
Devinciet laurus capillos  
Pansophico locuples decore.

Ita applaudebat præstantissimo  
Dn. Respondenti

M. DANIEL Schulz / Ill. Pædag.  
Profesl. & Musie.



C. B. D.  
DISSERTATIO  
DE  
ROMANA REPUBLICA.

I.



Eu navis multis ictibus conjungitur, & clavis compingitur atq; paxillis: deinde ad tempus aliquantum relinquitur, donec cohaerescant clavi commissuraq;, ut eo tutius fulcet maria: Sic Civitas, quæ præ aliis perennare debet, ringentibus undiq; vicinis conditur, donec illis in ordinem redactis, spiritum in se colligat, & tandem tempore aucta, in transmarinos arma convertat, ut interea civibus tuta præbeatur ac tranquilla vita. Videmus id in Republ. Romana, quæ à primis incunabulis & vastis solitudinibus post crebra adversus circummuranos populos bella pedetentim succrevit, & tandem ad summam potestatem & imperium pervenit, ut merito dicta sit terrarum caput: *Livius lib. 31. Plin. l. 3. c. 5. Arx Regum ac nationum exterarum: Lumen gentium: Domicilium Imperii: Cicerò Orat. pro Sylla. Gymnasium Literarum: Curia dignitatum: vertex mundi: Patria libertatis. Sidon. Apoll. lib. 1. epist. 6.*

II. Hujus Reipubl. statum antequam penitus introspicimus, æquum duco, ut de jactis Urbis fundamentis pauca præmittamus. Quidam dicente Plutarcho & Halicarnasæo, putarunt, multis ante Romulum & Remum seculis Romam conditam esse ab aliquo sive Æneæ sive Ulyssis filio, quem appellant Romum. Alii Romæ initia tribuunt feminae Trojanae, quæ cum Æneæ appulerit in Italiam, & tædio navigationis capta, perſuaserit cæteris Italis, ut naves exurerent, ibidemq; sedem caperent. Alii putant, Valentiam antiquitus dictam esse. Nos vero, probatissimorum autorum vestigiis insistentes, Romulum verum conditorem statuimus, præcuntibus *Livio lib. 1. § Florol. l. c. 1.*

III. Romulus & Remus ex Rhea, virgine Vestali, patre, ut quidæ vulgus opinatur, Marte; sed, ut alii, ab Amulio patruo vel quocūq;

A

alio

alio proco prognati, expositi sunt in silvam: ibidemq; à Lupa, ceu ajunt, lactati, donec pastor eos invenit. Hic diversa est autorum dissenſio, *Anſcitice vera fuerit Lupa.* Affirmativam amplectuntur *Plutarchus c. 65. Parall. Plin. 8. 17. Juſtinus l. 43.* Contra vero *Livius lib. 1. cap. 4.* refert eſſe quosdam, qui Laurentiam, vulgato corpore, lupa inter paſtores vocatam eſſe putent. Sic olim, cum Athenis meretrix quædam Leæna nomine Tyrannum occidiſſet, eamq; ſtatua dignam judicaret magiſtratus, & meretricis effigiem ponere puderet, cognominis belluæ imaginem dedicavit.

IV. Rem ipſam aggreſſuri, melioris ordinis gratia totam Reip. Romanæ remp. præeunte *Floro in proæmio*, dividemus in infantiam, quæ tuit ſub Regibus; in adoleſcentiam, quæ duravit à Bruto Collatinoq; Coſ. uſq; ad Appium Claudium & Marcum Fulvium Coſ. in juventam uſq; ad tempus Auguſti; in ſenectutem, quæ inſecuta eſt ſub Cæſaribus, Auguſtum inſequentibus.

V. Romulus & Remus, poſtquam auguria ceperant, alter in Aventino, alter in Palatino monte II. Calend. Maji, eo ipſo die, quo Palalilia celebrabantur, fundamenta Urbis poſuere, teſte *Plinio lib. 18. c. 26. Et Roſin. l. 1. c. 3. Antiquitat. Roman.* Ubi Remus irridens anguſtiam valli, ſaltuq; increpans, occiſus eſt. *Florus lib. 1. c. 1. Sed Livius lib. 1. c. 7.* refert quod Remus poſt captum augurium altercatione congreſſus cum fratre, uter Regis titulo ſalutandus eſſet, in turba ictus ceciderit. Quam ſententiam etiam amplectitur *Conf. Dn. D. Joan. Sichman/ Promotor ac Præceptor nunquam non deſervendus in Diſput. 1. de O. 7. n. 44.*

VI. Solus itaq; Romulus ſuperſtes, aſylum aperuit, quò ex finitimis populis turba omnis, ſine discrimine perſugit, ut ita quaſi ex variis elementis conſtaretur corpus unum. Aſylorum autem talis fuit conditio, ut inde aliquem abripere nefas duxerint, utq; neq; Dominjs ſervos, neq; nexum æris alieni cauſa creditori, neq; homicidas magiſtratu dedit liceret, niſi de cauſa ipſa antea eſſet legitime diſceptatum.

VII. Romulus vero ſentiens, ſine legibus Remp. ſtare non poſſe, toga purpurea amictus, in ſolio regali conſpicuus jura dedit: *Plutarchus in Romulo* quæ ut ſtrenue obſervarentur, centum creavit Senatores, quos ab honore Patres, & progeniem eorum Patritios; ab æta-

ab ætate vero Senatores vocabat. His jura dedit, ut soli decernerent, magistratum gererent, imò totius Reip. curam gererent.

VIII. Ingentijam multitudine collecta, defuere mulieres ad qvarendam pøsteritatem. Miserunt ergo legatos ad vicinas gentes, ut ab ipsis connubia peterent: qvòd cum denegatum, Conſualia instituta sunt, qvã fraude Sabinorum raptæ sunt virgines: & prima data anſa bellorum.

IX. Poſtqvam Romulus varia pericula ſubierat, Sabinosq; pace facta in civitatem ſuſceperat, de novo C. legit patres, & omnem juventutem in tribus diviſit: qvibus ordinatis, periit. Hic Plutarchus diverſas de morte Romuli refert opiniones. Alii putant, eum in numerum Deorum receptum eſſe, & id ob effatum Jul. Proculi, qvi ſe eum teſtatus eſt vidiffe cœlo delapſum, & mandaſſe, ut referret Romanis, cœleſtes velle, Romam caput terrarum orbis eſſe: ſeq; Qvirinum, & Romanos Qvirites appellatſe. *Livius lib. 1. c. 16.* Sed ii, qvi rectius rem ponderant, Romulum in templo Vulcani à Senatoribus, qvibus videbatur abſolutum affectare dominatum, interfectum eſſe dicunt: & ne in corpus inqvireretur, in partes diſectum eſſe, ſingulisq; Senatoribus injunctum, ut partem ſecum auferrent. *De his vide Dni. Parentis, ſemper mihi amandi & colendi, Syntagma hiftoricum.*

X. Romulo defuncto, populus graviter ferens multiplicatam ſervitutem, & dominorum multitudinem, poſt interregnum petiit Regem, qvem Patres dederunt, tradita ſimul ſumma poteſtate. Hic non incommode qværitur: *Num, qvia in Interregno omnes ſimul patres ſenatus oportuit præſe, ſumma poteſtas poſſit ſimul multis communicari ſeu tradi.* Acriter qvidem Politici diſputant, ſed miſis eorum qvi negant ſententiis, affirmativam amplectendam duco. Enim vero, ſi ipſam definitionem Majæſtatis intuemur, qvæ eſt jus conſtituendæ & regendæ Reip. & qvæ civitatem reddit *ἀντινομον, ἀντιδικον, ἀντιπλεῖν*, ut ſuis utatur legibus, judiciis, & magistratibus, certum eſt, ſi ea majæſtas à multis ſimul adminiſtratur, multis ſummam poteſtatem eſſe communicatam *Vid. Dominus Præſes in Aphoriſmũ Politicis Diſput. X. lib. V.*

XI. Electus Numa Patribus auctoribus factis gnarus *Platonis lib. 4. de Rep.* primum & præcipuum fundamentum & vinculum

humanæ societatis atq; bene constitutæ Reip. consistere in religio-  
ne; omne studium in sacras res convertit, utq; autoritatem sibi con-  
ciliaret, simulavit, sibi nocturnos esse congressus cum Dea Egeria,  
ut eo facilius populus persvaderetur. Geminavit deinde officium  
Regis, & cum antea modo legum ac morum rex haberet curam,  
addidit, ut sacra curaret atq; sacrificia, & ageret, quidquid ad pla-  
candos Deos pertineret: nullo enim modo principi politico cura  
de cultu divino est detrahenda, quicquid contradicant adulatores  
Papæ.

XII. Numæ defuncto ordine successerunt, Tullus Hostilius,  
Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, qui de novo patres in senatum  
legit, qui dicti sunt *minorum gentium*, ut ii, quos Romulus creavit,  
*majorum gentium*. Hunc excepit Servius Tullius, quem secutus  
in imperio Tarquinius superbus.

XIII. Hic Tarquinius superbus ultimus & nequissimus Ro-  
manorum rex flagitio filii egestus est regno, qui Lucretiam stupra-  
verat: postquam imperium Regum duraverat CCXLIV. annos: teste  
*Livio*. Movetur hic controversia: *Num iure gentium Rex possit re-  
gno ejici, vel à subditis interfici*. Agitur hæc quæstio hodie adhuc  
inter politicos: videlicet inter *Salmasium & Miltonium*, quorum al-  
ter secundum Regem, alter contra illum fert sententiam. Nos, licet  
quæstio sit difficilis, & decisio periculosa, quia tamen hujus rei co-  
gnitio est necessaria, distingvimus inter regem occupatione & ad-  
ministracione. Si occupatione tyrannus est, à quolibet interfici  
potest: juratum enim Reipubl. hostem quidni tollere liceat? *Toloz.*  
*l. 26. de Republ. c. 7. 8. 5.* Si vero administracione tyrannus est, di-  
stingvendum est inter eum, qui regni fundamentalibus legibus est ad-  
strictus, & inter eum, qui summa jura majestatis absoluta habet.  
In primo res clara est, posse illum regno ejici. Si vero in absoluto  
regno est constitutus, quod Philosophus vocat Barbaricum, tum  
distingvendum est inter eum, qui aliquo modo, & qui plane impro-  
bus est, ac omnia pietatis & honestatis jura violat. Contra hunc  
permisum est jure gentium, ut publica autoritate in tyrannum  
animadvertatur: cum talis tyrannis non amplius potestas sit, sed  
purum latrocinium.

XIV. Quæritur porro, *An sub septem regibus Roma fuerit status*  
*Monar-*

*Monarchicum?* Aff. cum distinctione. Quia enim Reges civiliter imperabant more illorum temporum, quibus passim in Græcia, Italia & Germania Reges quidem in civitatibus constituebantur, sed non cum absoluta potestate. Romæ etiam rex quidem fuit monarcha, sed in monarchia aristocratiâ temperata, ut civibus nihilominus sua libertas civilis esset integra. Talis monarchia vocari solet ex Aristotele regnum legale.

XV. *Queritur porro, Num Rex legibus sit solutus.* Resp. Distingendum est 1. inter leges *divinas*, quibus principem teneri nemo sanæ mentis negabit: inter leges *naturæ*, quibus itidem eum obligari nullum est dubium: inter leges *gentium*, pacta scilicet, conventiones, cum exteris & civibus initas, quibus princeps arctatur, quod docet *Bodinus l. 2. c. 5. de Republ.* inter leges *regni*, quæ fundamentales dicuntur, quibus etiam tenetur: & inter leges *mere civiles & positivas*, quibus princeps haut obligatur: ita tamen, ut, licet tales leges in regem non habeant vim coactivam, ipse tamen se in actionibus suis per eas dirigi patiatur.

XVI. Expulsis regibus, ex ephebis excessit Roma, & ampliorum nominis sui & famæ quæsit gloriam. Regio enim extincto imperio, *Aristocratiâ* emerfit democraticè temperata, quæ erexerunt J. Brutus, & Tarquinius Collatinus: quorum tamen alter imperium mox deposuit, quoniam totus populus ejuraverat nomen Tarquinatorum. Quid causæ fuerit, non video, nisi quod posteris semper in memoria hæreat majorum infamia, & propterea ejcicendi videantur, ne quid audeant & tentent contra salutem Reipublicæ.

XVII. Circa hæc tempora populus Romanus successu temporis dividi cœpit à statu in senatores, magistratus & in reliquum populum: & magistratum.

1. alii dicebantur à *tempore Ordinarii*, ut Consules, Prætores, Ædiles, Tribuni, Quæstores; alii *extraordinarii*: ut Dictatores & Censores.

2. à *persona*, alii *patritii*, ut Interrex, quod munus solis patritiis conveniebat: alii *Plebei*, ut dignitas Tribunatus & Ædilitia, quæ solius plebis erat: donec patritii eam sibi rapuerunt.

3. à *Qualitate*, alii *Majores*, qui auspiciâ majora minoraque habebant: alii *Minores*, qui non habebant.

4 ab *Insignibus*, alii *Curules*, ut Dictator, Consul, Censor, Prætor, Ædilis Curulis, quibus jus sellæ erat: alii *non Curules*, quibus jus sellæ non erat, ceu sunt pedanei.

5 à *Loco*, alii *Urbani*, alii *Provinciales*, alii *Militares*.

XVIII. Republica post regifugium recte constituta, Brutus exhaustum bonis vires Senatum intuens, primores Equæstris ordinis in Senatores adscribi curavit, illosq; conscriptos Patres appellavit.

XIX. Potestas Consulum inter reliquas dignitates ordinarias fuit. Omnium enim publicarum actionum potestateungebantur, & his reliqui cuncti obstricti erant, præter Tribunos plebis: totum edictorum negotium exercebantur: illorum erat convocare concionem; quemlibet ob delicta quovis in loco, ubi commorabatur, punire: sumtus ex ærario publico, quantum videbatur, facere. *Polybius lib. 6.* Potestas tamen eorum restricta erat ad Senatus auctoritatem & ad populum, ad quem provocare licuit. *L. Valeria.* Insignia eorum fuerunt, sella curulis, regia & eburnea, in qua jus dicebatur, trabea seu purpurea prætexta, lictores præferentes fasces.

XX. His de Romanis dignitatibus præmissis, videbimus, quid porro Romæ actum sit. Cum rixæ & seditiones subinde exorirentur, nec consules turbis pacandis pares essent, Dictatorem elegerunt, cui ad tempus summam tradiderunt potestatem. Nec ullo modo ab eo provocare licitum fuit: Animadversio quorumcunq; penes ipsum fuit, ut & cura totius Reipublicæ summa. *Alexander ab Alex lib. 1. Genial. Dier. c. 6. Andr. Dom. Floccus de potestate Romana.*

XXI. A Dictatore, postquam ad tranquillitatem extraordinaria ejus cura esset res pacata, semper revolvebatur imperium ad Consules, quoad legati missi Athenas, leges Solonis adferebant. Quoniam enim nondum apud Romanos jus omnibus erat æquum, ut *Dionysius* ait: nec jus scriptum extabat: sed quamdiu regnatum erat in urbe, magistratum arbitrio lites dirimebantur, quæ tunc legum erant instar: ideoq; sine legibus scriptis non amplius recte geri rem posse, arbitrabantur.

XXII. Postquam igitur leges à legatis è Græciâ scriptæ essent al-

sent allata; ut recte & ordinarentur & promulgarentur, Decemviri legebantur, placuitq; ne à potestate Decemvirorum ulla esset provocatio.

XXII. Nefandum vero facinus Appii Claudii Decemviri, milites retraxit, ut relicto bello & castris domum reverterentur: & postquam adegerant Decemviros, ut pro concione abdicarent, (cum per tres annos duravisset eorum dominatus,) Tribunos plebis elegit populus, tanquam scutum adversus vim magistratus. His tanta erat majestas, ut, quicquid senatus decrevisset, ita demum ratum haberetur, si Tribuni approbasent: privati magistratus ipsis omnes parebant: sin secus agebant, vel per viatorem tribunitionem in carcerem abripiebantur, vel die dicta apud populum accusabantur, ut violatores Sacrosanctæ potestatis. *Justus Lips. de Magistr. Pop. Rom.* Tanta erat eorum necessitudo, ut ne ullam horam ab urbe legitime abesse possent. *Dio lib. 37.* Sed Sulla Dictator Tribunitiam potestatem valde circumcidit, imo penè exscidit.

XXIV. Diu Republica stetit sine mutatione, donec A. V. C. ccclxxxvi. cum Consules avocarentur à bellis finitimis, neq; adesset, qui in civitate jus diceret, factum est, ut Prætor crearetur: qui erat juris disceptator, privata dijudicabat, juris civilis custos erat, ejus potestati cæteri omnes parebant, *Cic. lib. 3. de legibus.* Præter hunc Prætorem alius adhuc creatus est, qui dabat jus peregrinis: unde hic appellatus peregrinus; ille vero urbanus Prætor.

XXV. Eodem fere tempore Proconsules additi sunt magistratibus, cum videlicet Æqui maximum terrorem urbi injecissent. Consul itaq; qui in urbe remanserat, quæ curiosius delectum facere posset, Proconsulem creavit, qui obsesso collegæ auxilium ferret. Omnem habebat dignitatem Consularem, præter numerum lictorum, quorum ipsi sex modo dati erant.

XXVI. Idem ille annus, ut *Livius lib. 7. c. 1.* refert, insignis fuit novo magistratu, nempe Ædili Curuli: qui dicebatur major Ædilis: *Plut. in Mario.* Et hos sibi patricii quæsivere honores proconcesso plebi altero consulatu. Potestas eorum initio pene nulla fuit: versabantur circa sacra, ludos, stadia, fora. Quod *Cic. Orat. 7. in Verrem* his verbis exprimit; Nunc sum designatus Ædilis; habeo rationem, quid à populo Romano acceperim: mihi ladi sanctus-

sanctissimi maxima cum cura Cereri, Libero, Liberæq; faciendi: mihi sacrarum ædium procuratio; mihi tota urbs tuenda est commissa. Sed non contenti fuere hisce officiis: sed & Senatusconsulto interfuere, jusq; dixere de redhibitione, seu rebus corruptis vitio, quas quis aut venderat, aut commutaverat.

XXVII. Hac ætate adolescentiæ Roma variis seditionibus obnoxia fuit, quæ partim ob crudelitatem Consulium, partim ob iniquitatem Patriciorum ortæ sunt. Devictis enim Sabinis, prima seditio orta est, quod senatus debitorem in jus duxerat, quod solvendo non esset, cum tamen totus populus esset obætatus: au-ta vero exinde, quod licitor auderet jussu superiorem quendam de medio populi trahere & capite plectere; sedata vero tandem callida oratione Menenii Agrippæ ad populum habita, substitit paululum concordia, donec 2. jussu Patrum Tribunus domi occideretur, quod populus male ferens, putans agi de libertate, scævire incepit. 3. de L. Agraria seditio orta, cum ager esset æqualiter dividendus. Hac deductione coloniæ sedata est. 4. Seditionis causa & caput fuit Appius Claudius Decemvir, quem virginis plebejæ stupranda libido ceperat: sed pater virginis, concitata plebe, Aventinum occupabat, & populus, postquam Decemviri abdicati essent, Tribunitium magistratum denuo sibi vendicabat.

XXVIII. Circa hæc præmissa quæri potest: *Num populo & subditis liceat sibi in libertatem vindicare?* Seditiose ii sentiunt, qui affirmant, imperiorum exordia ut violenta & vi parta, ita vi dissolvi posse: juris esse, eodem vinculo dissolvi omnia, quæ colligata sunt. Considerent modo, vi parta imperia ex voluntate & tacito populi consensu, firmum jus accipere; ut qui tale imperium obtinenti se opposuerit, pro rebelli & contumace habendus sit. Cogitent illud Cic. lib. 12. ad fam. Epist. 8. & 9. Omnia in bellis civilibus & seditionis misera, sed nihil miserius, quam ipsa victoria. Et, ut Gro-tius lib. 2. c. 4. n. 14. refert de Agrippa rege in oratione ad judæos: in-tempestivum est in libertatem vindicare. Olim ne ea amitteretur certatum oportuit. Nam servitutis periculum facere, durum est & ne id subeatur, honesta certatio ineunda. At qui semel subactus deficit, non libertatis amans dicendus est, sed servus con-tumax.

XXIX. Quæ-

XXXIX. *Quæritur, An sub Consulibus Romæ fuerit status Oligarchicus?* Erat quidem, sed cum Tribuni plebis creabantur, desit Oligarchia. Hi enim politeian incipiebant, quæ etiam tenuiorum curam haberi voluerunt. Hinc S. P. Q. R.

XXX. *Quæritur, An præstet Magistratus perpetuus, an ambulatorius?* Id judicandum duco ex cujuslibet Reip. conditione, & ex diversis Rerumpub. formis. In Imperio Romano Consulari præstabat ambulatorius, quia alias facile affectatum fuisset regnum.

XXXI. Omnes formas Rerump. Romæ experta est. Monarchia fuit sub Regibus: non pura, sed mixta; hæc in tyrannidem mutata est, Tarquinio superbo regnante. Consulari tempore & Decemvirorum Aristocrata fuit: quæ abiit in Oligarchiam, tempore secessionis in montem Aventinum. Tribunorum tempore Democratia fuit. Hic subsistit adolescentia Romana, postquam duraverat CCL. annos. Tanto enim temporis spatio erat prima ætas sub regibus.

XXXII. Tertiam ætatem Reipubl. Romanæ iustabimus, quam *Florus l. 2. c. 19.* ita depingit, quod fuerit pulchra, egregia, pia, sancta & magnifica: reliqua seculi, ut grandia æque, ita vel magis turbida & fœda, crescentibus cum ipsa magnitudine viriis: adeo, ut quis hanc tertiam ejus ætatem transmarinam possit dividere in duo secula: nempe in prius, quo Africam, Macedoniam, Siciliam, Hispaniam Romæ domuit, & quod aureum dici meruit: & in posterius, ferreum sane & cruentum.

XXXIII. Seculo enim aureo æqvissimis legibus temperata erat Respublica, plebe in honorum & conjugiorum societatem admisa: & duravit à Pyrrhi regis bello, usque ad tertium bellum Punicum. Quo tempore præclara illa, & ad omnis posteritatis memoriam illustria abstinentiæ, modestiæ, fortitudinis, civilis denique concordia exempla edita sunt. Post autem, vetere jam labante disciplina, moribus quoque ad levitatem & ambitionem nimiam inclinantibus, luxuria & avaritia grassantibus, sensim Reipubl. consensus tentatus atque labefactatus, & injusta tandem populi dominatione everfus est. *Stadius.*

XXXIV. Ætate hac aurea senatus antiquum semper obtinuit statum, necullo modo immutatus est: donec ortis seditionibus

bus ad ferream inclinavit ætatem. Harum seditionum fuerunt V. seditiones Tribunitiæ potestatis dictæ. Tribuni enim sub specie æqui & tuendi populi, omne imperiũ ad se transferre allaborarunt. 1. Seditio fuit Tiberii Græchi: qui vel commiseratione populi, vel alia de causa impulsus, rostra conscendit, ingenti stipatus agmine, oratione ad populum habita, de dividendo agro. Hunc Cneius Octavius injecta manu depulit rostris, quod ægre ferens populus seditionem concitavit. 2. fuit seditio Caji Græchi, qui vindex fratris, Attali hæreditatem populo promisit: sed hunc interemit Opimius Consul. 3. dicitur seditio Appuleiana. 4. Drusiana. 5. Belium socialis. *Vide uberius Flori lib. 3. c. 13. usq; ad 18.*

XXXV. Aristoteles, Politicorum facile princeps, de seditionibus ita iudicat, quod oriuntur 1. ex contumelia à gubernatoribus populo illata. 2. ex eorundem avaritia, quæ bona vel publica vel privata civium intervertunt. 3. ex honoribus aliis concessis, aliis negatis. 4. ex cellentia unius vel plurium tanta, ut inde status mutatio metuenda. 5. metu vel oppressionis vel pœnæ. 6. contemptu, quando videlicet divites pauperiores nihili pendunt. 7. quando mutatur iusta ordinum proportio, ita ut una civium pars nimium crescat. 8. vilitate magistratuum, quando dignitas conceditur hominibus abjectis. 9. negligentia seu incuria, quando, qui præest Reipubl. illi statui non favet. 10. parvorum neglectu quando parva futuræ magnæ mutationis initia aut non animadvertuntur, aut contemuntur. 11. dissimilitudo civium, & ex illa dissensio. 12. loco, quando situs urbis talis est, ut alii aliis melius habitent. 13. virtute & vitio, quæ variè etiam afficiunt & distrahunt cives. 14. paupertate item & divitiis. Hæ pene omnes causæ deprehenduntur etiam in seditionibus Romanæ reip. si quis diligentius scrutetur.

XXXVI. Mutatur imprimis Resp. si aliquis ordo nimia sumfit incrementa. Sic Romam pefumdedit Tribunorum Patres nimia cavillandi licentia. *Beckerus in præm Juris Publ.* Interim mutatio quandoq; fit per vim, quandoq; per dolum. Et vis aliquando initio adhibetur: postea dolus additur: aliquando dolo fit initium, & postea violentia accedit. Sic Romæ Decemviri dolo aggrediebantur magistratũ & imperiũ, quod postea vi obtinebant.

XXXVII.

XXXVII. *Quaritur, An mutato Reip. statu idem maneat civis?*

*Aff.* si cum bono publico in melius fit mutatio, ut si Monarchia mutatur vel in Aristocratiam, vel in Democratiam, vel in mixtum Reip. statum. Tunc, qui civis fuit in Monarchia, civis etiam manet in alio Reip. statu. Si vero mutatio fit in deterius cum everfione salutis publicæ, ut si Monarchia mutatur in Tyrannidem, vel in Oligarchiam, vel in Timocratiam, vel in Anarchiam, non idem manet Civis.

XXXVIII. *Quaritur, An difficilius fit, depravatam Remp. corrigere, quam ab initio novam constituere?* & Difficilius esse, corrigere depravatam, quam constituere novam, facile patet. Domum enim malo fundo superimpositam, majoris est operis reparare, quam de novo construere. Sic quoque difficilius est, pravorum mores, legesque nimis rudes & barbaros abolere, quam proprio iudicio novas introducere.

XXXIX. Propterea, ut Respubl. bene constituta conservetur, prospiciendum est juxta Aristotelem. 1. ne vel minimum in legibus mutetur. 2. ne fides detur hominum turbulentorum sopsismatibus Politicis, quibus multitudinem suis consiliis volunt ad mutationem aliquam inclinare. 3. Imperantes recte se gerant erga reliquos, qui subsunt, nec ullum afficiant injuria. 4. Recte se gerant erga æquales & collegas. 5. Formidines aliquando populo injiciantur, quasi periculum prope sit, ut incuria & negligentia prohibeatur. 6. Disensiones procerum legibus præcavendæ sunt, ut si exoriantur, maturè sopiantur, & conciliatio tentetur. 7. Civium bona certis temporibus censeantur. 8. Ne unus supra modum honoribus cumuletur, nec plures ei magistratus committantur. 9. Si honores sunt collati, paulatim non simul sunt auferendi. 10. Censores constituendi, qui mores corrigant. 11. Rationes ærarii administrati sapientius exigantur. 12. Non liceat legare cuique bona sua, cui velit. 13. Illi, quibus magistratus committendus est, tribus virtutibus præditi sint. 1. amore in præsentem Reipubl. statum. 2. peritia & facultate ad exequenda ea, quæ tanta dignitas requirit. 3. virtute & justitia cõgruente Reipubl. 14. Leges nunquam negligendæ. 15. Pars civium statu præfenti contenta, potentior sit ea, quæ statum vult mutatum. 16. Mediocritas semper spectetur. 17. Divites &

pauperes consentiant. 18. Juventus recte instituat. 19. Nemi-  
ni permittatur vivere pro arbitrio.

XL. Hæc præcepta cum Respubl. Romana tertia atate in  
primo aureo seculo observabat, sancta & pia semper dicta est: flo-  
ruit, viguit: & fuit tempus viris armisq; incitatisissimum; sed ne-  
glecta pietate & legibus, in varias factiones abiit, ferreumq; dici  
meruit seculum. Tantum de adolescentia Romana.

XLI. Aggredimur senectutem Reipubl. Romanæ, quæ quo-  
dammodo incepit à J. Cæsare, postquam Consulare imperium du-  
raverat per D. annos. Suborta enim civili discordia, consulare  
imperium pedetentim evanuit: donec J. Cæsar bello clarus, devi-  
ctis Gallis ac Germanis, invincibile robur exercitus sui ad oppri-  
mendam libertatem Romanam convertit, devictoq; in Hispania  
Pompeio, potentia suæ æmulo, Dictatoris officium sibi delatum,  
perpetuo sumsit, & ita vim dominationis monarchicæ titulo præ-  
posuit. Sed cum maximis honoribus à civibus cumuleretur, in-  
signiaq; regia pro rostris à Consule Antonio oblata essent, impe-  
rium aggressus est. Et quinque annos monarchicè titulo Imperato-  
ris regnum administravit. Cassius vero & Brutus, aliiq; Patres,  
postquam in ejus eadem conjuraverant, in curia Pompei ii, expedi-  
tionem Parthicam meditantem invaserunt, & 23. vulneribus pere-  
merunt. *Plutar. in Cæs. Florus lib. 4. c. 4.*

XLII. Disceptatur hic, Num J. Cæsar jure sit interfectus?  
Secundum jura civium, ut Cicero vocat, licuisse videtur civi-  
bus, quorum majores juramento regnum detestati erant, & consen-  
serant eum evertere, qui libertatem opprimere conaretur. Si enim  
Principi in eum licet advertere, qui imperium sibi adimere cona-  
tur, quidni etiam populo, Majestate pollenti, eum perdere licebit,  
qui libertatis jura violare conatur? Sed quia salva Romana amplius  
Respubl. esse non poterat, nisi ad unum devoluto imperio, ut ait  
*Pompon. l. 2. §. 11. de O. J.* evenit, ut necesse esset, Reip. per unum  
consuli: Et tacitus populi consensus confirmaverat imperium  
J. Cæsaris. Quia igitur J. Cæsar gesit magistratum sacrosanctum,  
violari non debuisse.

XLIII. Cæsar, potestate summa ad se rapta, Pompejo everso,  
ut diximus, dominatum invaserat: sed cum omnia ad arbitrium  
suum

suum revocaret, sublatus est. Hunc dominatum etiam Antonius everso Cæsare affectavit, sed patres eum, per Octavianum Augustum, filium adoptivum Cæsaris, oppugnavit. Hic deinde Triumphatum oligarchicum inivit. Sed non longo temporis intervallo, cum ipsi Triumviri disensione facta eversi essent, solus Octavianus rerum potitus est, & se Imperatorem lege solutum constituit. Hujus Augusti tempore Salvator noster natus est, in solatium totius generis humani.

XLIV. Hic incepit dici imperium & Monarchia Romana, in qua quidem primi Imperatores umbram aliquam potestatis Senatui reliquerunt: ipsi vero majestatem sibi vendicabant, & jure hereditario per successionem in posteros transferebant imperium: nec ulla populo vis relicta est, ut se tyrannidi vel vitiis imperatorum opponere possent.

XLV. Familia Cæsaris in Nerone per rebellionem exercituum tyrannidis pertætorum extincta, ad eos devenit imperium, qui apud milites plurimum valuerunt. Contigit tamen, ut saepenumero probi imperarent. Si heredes defuncti imperatoris non existerent, nonnunquam Senatus jus constituendi imperatorem sibi sumit: milites plerumque hanc potestatem exercuere: quandoque invaserunt imperium, qui aliquid ausi sunt. Et fuit tempus, quo xxx. simul tyranni in imperio admodum turbato sunt numerati.

XLVI. *Quæritur, Num electio successioni præferenda in regno Monarchico.* Varia quidem & satis robusta sunt argumenta, quæ utramque faciunt paginam: nos vero electionem præferimus, quæ videtur præstantior, ut quæ fatuos ac juvenes à Republ. arcet, quos successio sæpe, non nisi summo Reip. periculo obtudit.

XLVII. Tempore Imperatorum, Roma admodum crevit potentia, totusque orbis terrarum ipsis est subjectus, & bellis non tantum illis, quæ à justitia commendari possunt, sed etiam injustis res agebantur, non tam ratione defensionis, quam offensionis. Aut enim dimicabant ob metum incertum, aut ob utilitatem sine necessitate, aut ob cupiditatem melioris soli, aut ob voluntatem regendi alios, aut ob titulum universalis imperii, aut ob minuendam potentiam vicini crescentem: quæ omnia sunt causæ bellandi injustæ. *Græc. l. 1. de jure belli & pacis c. 2 & 3.*

XLVIII. Imperium vi sua & robore admirabili concorditer unitum, à Constantino M. divisum fuit. Cum enim Constantinus imperator Christianam religionem amplexus esset, & dies quidam gentilibus festus appetiisset, quo in capitolium exercitus ascenderet, ipse eorum sacris spectis, in odium senatus ac populi incidit; cumque injurias haut ferret, urbem Romæ parem quæsit, & imperii sedem Byzantium transtulit, quam deinde Constantinopolim vocavit. Tunc temporis imperium populi Romani in Orientale divisum est, cujus caput fuit Constantinopolis, nova Roma dicta, & in occidentale, cujus sedes fuit antiqua Roma. *Onuphr. Panuin. lib. 1. de comit. imp. Hic illud Horatii Epod. 16. valet: En suis & ipsa viribus Roma vuit.*

XLIX. Multæ hic papicolarum fabulæ extant: Fingunt enim persecutionem in Christianos meditantem Constantinum lepra infectum fuisse: noctu vero vidisse Petrum & Paulum, qui cum ad Sylvestrum ablegaverint, ut remedium lepræ ab illo acciperet: baptisatum vidisse Christum: propterea Sylvestro omnibus Episcopis majori habito, totum occidentem commisisse, & ornamenta imperatoria donavisse.

L. Sed omnia falsa sunt: nec Constantinus fuit Christianorum persecutor, teste *Eusebio*: nec leprâ fuit affectus; quod nunquam ullus historicorum scripsit: nec Romæ fuit baptisatus: id enim Nicomediæ postremo vitæ imperiiq; anno factum, teste *Hieronymo*: nec Papæ omnem Occidentem concessit, namque hunc inter filium Constantinum & Constantem divisit, quorum ille Galliam, Germaniam, Britanniam, Hispaniam, hic Italiam subditam obtinuit: nec Constantini fuit instrumentum illud donationis, sed Picerrii cujusdam & Steuchi Notarii. *Tolos. l. 6. c. 13. f. 29.*

LI. Per CCC. amplius annos Imperatores omnes, neglecta Roma, sacrario imperii, Augustorumque parente, apud Græcos Constantinopoli confederunt: Occidentis principes titulatenus vocabantur. Numerus eorum, qui Constantinopoli imperium administraverunt, fuit 37. Hi quoniam à Roma longe nimis distabant, Romanis ope indigentibus, raro tulere subsidia.

LII. Hisce imperantibus, & quidem Justiniano, filio adoptivo Justini, ingens volumen totius juris civilis congestum est  
per

per Jctos, & confirmatum per Imperatorem Justinianum. Hic contrariantur sanæ rationi & historiæ, qui pertinaciter tradunt, Justinianum penitus literarum fuisse imperitum, ut ne vix quidem edicta potuerit subscribere, fuisse tyrannum, avarum, hæreticum, & præterea innumera ipsi adscribunt vitia. Ignorant forte, Justinianum I. & Justinianum II. seu minorem toto cælo distare, quod virorum fide dignissimorum autoritas perspicue probat. De Justiniano I. dicit *Eutropius*, quod Romanam gloriam mirum in modum ampliaverit: leges infinitis voluminibus dispersas in libros Digestorum contraxerit: Libros institutionum IV. ediderit: Codicem vulgaverit. Econtra Justinianum II. *Paulus Diaconus* l. 7. refert. fuisse hominem omni avaritiæ deditum, contemptorem pauperum, Senatorum spoliatorem, cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus ea, quæ rapiebat, auri talenta congregaret. Quem etiam ferunt in hæresin Pelagianam delapsum. Erubeant Justiniani pii detrectatores. Videant, quam generosum leonem aggressi sint. *Conf. Dn. D. Sithman Cent. I. Disp. 1. n. 1.*

LIII. Hic Justinianus per Bellisarium & Narsetem non solum Africam iteram subigere, Vandalos suppressere, Romam à Gothis liberare, sed membra etiam imperii conjungere visus est. Verum propter filii Justini ingratitude[m] Narsetes Alboinum Longobardorum Regem in Italiam vocavit, qui illam per cccxi. annos tenuere.

LIV. Romani Occidentales interim, cum undiq; vexabantur ab adjacentibus populis, ut Longobardis & aliis, nec ullum auxilium ab Orientalibus Imperatoribus propter loci distantiam & varias factiones sperare poterant, Senatus Populusq; Romanus ac Summus Pontifex, aliam ab externis meditati sunt impetrare defensionem. Propterea sponte offerunt, quod forte amisuri essent, & sibi præficiunt tacito Senatusconsulto & Plebiscito Carolum, ex Franconia oriundum, natione Germanum. Cumq; festo solemniter ad aram D. Petri consisteret, ejus capiti, dum nihil tale speraret, diadema Cæsareum pontifex maximus imposuit, acclamante populo Romano. *Arunius ducur/s 3. de jure publico.*

LV Tri-

LV. Triplici autem jure Carolus, postquam ascensionem Imp Constantinopolitani impetrasset, obtinuit Romanum Imperium 1. jure belli, victoriæ, acquisitionis. 2. S P. Q. R. voluntate, suffragio, electione. 3. Consensu Imp. Græcorum.

LVI. Hinc vero, quod Papa Constantino M. coronam imposuerit, & Imperatorem jussu populi denunciaverit, colligere annuntur quidam Romani Germanici Imperii Majestatis arrosores, Romanum Imperium Papæ jure feudatario adscriptum esse. Sed Pontifex proprietario jure imperium nunquam habuit. Ergo nec dare potuit. Potius dicerem Papam imperatoris Vasallum, quia quasdam imperatoris terras tenet. *Obicitur*, quod imperator juramentum præstiterit pontifici. Sed Carolus præstitit saltem juramentum protectionis, non vero subjectionis vel fidelitatis.

LVII. *Queritur, An Romano-Germanicum imperium etiam hodie Romanum jure nuncupari queat.* Non pauci Politicorum id ipsum negant: quasi, quibus electio competit, eorum verius sit imperium. Sed Germani quidem habent jus eligendi imperatorem, sed electus dicitur Romanus, quia imperium hoc cum omnibus suis eminentiis & juribus ad Germanos est translatum. Sic olim translata sede à Roma Constantinopolim versus, Romanum nihilominus fuit imperium. Est igitur imperium nostrum Romanum ratione originis; Germanicum ratione subjecti recipientis: quia à Romanis ad Germanos fuit translatum.

LVIII. *Queritur, An imperium Romanum ad Gallos in Carolo M. translatum sit?* Perperam sentit Bodinus, qui affirmat. Nos vero negamus, quia Franci, qui Galliam debellarunt, quorum Rex fuit Carolus M Germani fuerunt.

LIX. Carolo Magno defuncto, Ludovicus pius, ejus filius, imperium, quod cum patre commune jam habuit, solus aggressus est, & successit non modo in imperio, sed & in virtutibus. Hunc excepit Lotharius, donec imperium devenit ad Carolum IV. qui imperium firmavit non tam armis, quam legibus, Auream Bullam edendo.

LX. Quia vero in regno Germanico, rege defuncto, communi suffragio aliquis eligi consuevit, qui regnum administraret: ideoq;

ideoq; post Othonis Magni tempora electione ordinum Imperator constitui cœpit: quibus vero in eligendo dissentientibus, tandem tempore Othonis IV. in VII. Electores potestas translata est: quæ constitutio deinde in Aurea Bulla Caroli IV. est confirmata, quæ jus imperii nemini amplius hæreditarium conceditur.

LXI. Imperatori Romano, postquam electus est, ab Archiepiscopo Colonienſi imponitur corona, non ferrea, ut quidam perperam existimant, sed aurea: quæ fuit olim triplex, Germanica quæ Aquisgrani imponebatur à Colonienſi Archiepiscopo; Lombardica, quæ Mediolani ab Archipræsule Mediolanensi; Romana, quæ ab ipſo Papa aptari conſuevit. Sed duæ posteriores coronationes citra imperii diminutionem ab Electoribus neglectæ sunt. Nec obest, quod dicunt, ante Papalem coronationem jus administrandi imperii non competere imperatoribus. Sciant, coronationem nihil novi juris electo tribuere, sed quod tributum est, festivè magis significare. Sola ergo hodie Germanica Coronatio in usu est, quæ electionem sequi solet: quod aperte admodum confirmat *A. Bulla ut 2. §. ult.* Peracta electione statim Rex Romanorum cum alia negotia imperii administrare, tum privilegia quoq; elargiri potest.

LXII. Electus itaq; Romanorum Imperator, ipſo electionis jure, suprema jura Principis nanciscitur: quibus traditis, traditur unâ in omnes cives imperii jurisdictio: nec superiorem ille agnoscit, nisi Deum & gladium. Licet autem Electores conferant Imperatori regnum, sunt tamen modo causa instrumentalis: sed solus Deus causa principalis.

LXIII. Membra sacri Romani imperii distinguuntur secundum clasſes & circulos. Clasſes sunt VII; Circuli X. In 1. clasſe numerantur VII. Electores, quibus hodie additur Octavus. In 2. Archiepiscopi 4. in 3. Episcopi, quorum 27. numerantur in comitiis. In 4. ordines Politicorum Principum, quorum hoc tempore 18. sunt familiæ. In 5. Abbates imperiû & Præpositi, quibus Abbatissæ adduntur. In 6. Comites & Barones. In 7. sunt civitates liberæ imperiales, quæ distinguuntur se-

tur secundum sessionem, quam habent in comitiis, eamq; vel in Svevico vel Rhenano.

LXIV. Circuli sunt X. quorum 1. Francicus 2. Bavari-  
cus. 3. Austriacus. 4. Svevicus. 5. Superior Rhenanus. 6. iv. Ele-  
ctorum ad tractum Rheni. 7. Westphalicus. 8. Superior Saxoni-  
cus. 9. Saxonicus inferior. 10. Burgundicus

LXV. Regalia seu jura Majestatis imperatoriae sunt du-  
plicia: Ecclesiastica & Politica: Illa exercentur in ecclesiis, ex  
consilio theologorum ordinandis & reformandis, episcopis &  
verbi ministris constituendis, hæreticis & blasphemis compe-  
scendis, scholis fundandis, foris causarum spiritualium erigen-  
dis, conciliis convocandis. Hæc versantur circa leges civiles  
condendas, judicia seu dicasteria constituenda, præmia & hono-  
res dispensandos, Reges, Electores, Principes, Barones, Nobiles  
creandos: uno verbo: circa constitutionem in omnibus, quæ Rei-  
publ. constitutionem & administrationem spectant.

LXVI. Territorium Imperatoris Romani dicitur totus  
orbis *l. deprecatio. 9. ff.* Verum nunquam universus mundus  
imperio ejus fuit subjectus. Accipitur ergò hæc significatio  
non proprie, sed per synecdochen totius pro parte illa, quam pre-  
mit imperio: quæq; ob amplitudinem poterat orbis vocari, licet  
jam multi populi & provinciæ ab obsequio imperatoris exem-  
tæ sint, & ab imperio avulsæ, ut sunt regna Galliæ, Hispa-  
niæ, Angliæ & aliæ. Nunc temporis proprie imperii territo-  
rium appellantur provinciæ istæ, quæ actu imperii ditioni sunt  
subjectæ, ut sunt Germania, pars Italiæ, & occidentalis Galliæ.

LXVII. Hæc immediata imperii membra nequa-  
quam potest Imperator alienare. Si quis populus in prote-  
ctionem ejus ita se tradidit, ut nihil excipiat, utq; in eum  
pleno proprietatis jure imperium habeat, hunc jure gentium &  
civili abalienare potest; in immediata verò corporis membra,  
nec venditionem, nec exemptionem committere potest, quia  
sunt exempta, *l. inffer. 83. §. sacram. 5. ff.* Ergo alienare ea non  
potest.

LXVIII. Cæterum ordines imperii sunt vel Electores, vel  
Principes vel civitates Imperiales.

LXIX Quod

LXIX. Quod Electores attinet, sciendum est, quod cum antea in imperio, rege sine prole defuncto, communi suffragio aliquis eligi consuevisset, qui regnum administraret, Ordinesq; sapissimè dissentirent in eligendo, creati demum sint VII. Electores, quibus solis competit hodiernum electio, ex constitut. A. B. Caroli IV. ita tamen ut in pacificatione Osnabrugensi octavus illis sit additus, quod diximus.

LXX. Electorum est, hoc agere, ut (1.) Electio fiat sincerè sine furo & fraude, non prece, nec precio, sed liberrimè. (2.) ut fiat collegialiter & actu continuo pro majori votorum parte. (3.) ut vota colligant, conferant, & statim populo publicent, primo in conclavi, & deinde publice, utq; electus, si præsens est, statim populo sistatur.

LXXI. Hi Electores etiam, Imperatore adhuc vivente, Regem Romanorum eligere possunt; sive consentiat sive dissentiat Caesar. Hic imperatoris absentis aut impediti est vicarius perpetuus, & tamen demortui successor indubitatus, qualis in Gallia est Delphinus, in Hispania Infans.

LXXII. Solum etiam eligere tenentur sanguine Germanum, licet extra Germaniam natus sit: ut Fridericus II. Imperator in Sicilia lucem adspexit. Locum hoc etiam habet in avo, respectu nepotum, qui non sunt in patris, sed avi potestate: §. *fin. Inst. de patr. potestate*. Sic Carolus V. & Ferdinandus I. fratres ac nepotes Maximiliani I. imperatoris, ex filio Philippo, Germani æstimati sunt, licet pater esset Rex Castellæ. Objiciunt hic nobis aliqui Carolum M. quod fuerit Gallus: sed falsissimo. Carolus enim fuit Francus, & Franci populi antiquissimi Germaniæ. Hinc dicebat Moguntinus: Ad Gallum quod attinet, legibus nostris & jurejurando nos arbitror impediri, quibus cautum est, ne decus hoc imperii transferatur ad externos: quin autem peregrinus ille sit Princeps, nulli dubium esse puto. *Steid. l. 1. Comm.*

LXXIII. Singuli etiam Electores nonnulla privilegia habent extra electionem. Elector Palatinus est administrator & Imperii provisor: potestq; pleno jure exercere judicia, colligere redditus, investire de feudis, fidelitatis juramenta nomine Sacri

Sacri Imperii recipere &c. Eodem jure administrationis Illustris. Dux Saxoniae fruatur in illis locis, ubi observantur Jura Saxonica *A. B. III. 5.* Huc pertinet, quod vel plane inhibita est provocatio à sententiis quorundam, ut Saxonici & Brandenburgici: vel intra certam quendam summam.

LXXIV. Principes imperii sunt vel ecclesiastici, vel seculares. Inter ecclesiasticos sunt Archiepiscopi qui non unius civitatis, sed totius provinciae inspectionem Ecclesiae obtinent, & ratione regalium forum Caesaris sortiuntur: in ceteris causis proprium habent forum. Item Episcopi, qui eliguntur à cujuscunq; ecclesiae canonicis: ut & Abbates & Prælati: quorum illi inter monachos primum locum obtinent: Hi dicuntur Ecclesiae Antistites.


LXXV. Seculares principes sunt Archiduces, quales sunt Austriaci: & Duces, inter quos referuntur Marchiones & Landgravii. Et his etiam sociantur Comites & Barones immediate imperio subiecti.

LXXVI. Civitatum imperialium numerantur LXIV. quibus non minus ac reliquis Ordinibus suffragia in comitiis competunt, quæq; eademq; fruuntur libertate.


LXXVII. Coronidis loco quaeritur, *Num status Imperii hodierni sit Monarchicus, vel Aristocraticus, vel Mixtus?* Impius Romanæ Monarchiae impugnator Bodinus *lib. 2. de Republ. c. 6.* manibus pedibusq; id conatur, ut imperium Romanum contumeliose habeat: nec veretur Ducem Florentiae præponere nostro Imperatori. Sed impudenter & imprudenter sentit. Monarchia enim est, quia is, qui præest, Monarcha est. Si Monarcha est, solus, non alii imperant. *Bodinus lib. 2. c. 1.* & jura majestatis habet *lib. 2. c. 8.* & ob id ab omnibus universi mundi populis Monarcha salutatur, colitur, habetur. Nullum agnoscit superiorem, sed soli Deo refert gratiam, qui coronatus: nam ipsi imposuit, *ut loquitur Justin. c. 4. in q. mem. fin. Novella 28.*


SOLI DEO GLORIA.











the scale towards document

Electores attinet, sciendum est, quod cum  
ge sine prole defuncto, communi suffragio  
set, qui regnum administraret, Ordinesq;  
t in eligendo, creati demum sint VII. Ele-  
competit hodiernum electio, ex constitut.  
tamen ut in pacificatione Osnabrugensi  
us, quod diximus.  
m est, hoc agere, ut (I.) Electio fiat sence,  
e, non prece, nec precio, sed liberrime.  
ter & actu continuo pro majori votorum  
olligant, conferant, & statim populo publi-  
avi, & deinde publice, utq; electus, si præ-  
lo sistatur.  
ctores etiam, Imperatore adhuc vivente, Re-  
gere possunt; sive consentiat sive dissentiat  
oris absentis aut impediti est vicarius perpe-  
ortui successor indubitatus, qualis in Gallia  
pania Infans.  
n etiam eligere tenentur sanguine Germa-  
maniam natus sit: ut Fridericus II. Impe-  
n adspexit. Locum hoc etiam habet in  
am, qui non sunt in patris, sed avi potestate:  
testate. Sic Carolus V. & Ferdinandus I.  
Maximiliani I. imperatoris, ex filio Philippo,  
at, licet pater esset Rex Castellæ. Objiciunt  
rolum M. quod fuerit Gallus: sed falsissi-  
m fuit Francus, & Franci populi antiquissimi  
cebat Moguntinus: Ad Gallum quod attinet,  
prejurando nos arbitror impediri, quibus  
hoc imperii transferatur ad externos: quin  
lle sit Princeps, nulli dubium esse puto.  
uli etiam Electores nonnulla privilegia ha-  
m. Elector Palatinus est administrator &  
otestq; pleno jure exercere judicia, collige-  
de feudis, fidelitatis juramenta nomine  
Sacri